

ab ente intentionali, veluti fine, ad media. Secundò mediis acceptis & erutis principiis, ad finem generandum aut consequendum festinat. Semper igitur natura à fine aliquo incipit, & in fine acquiescit, quem sibi per media idonea conciliat. A fine progrediens ad media resolvit; à mediis ad finem adeptionis componit. Resolutio autem & compositio reipsâ & formis differunt. A compositione unus ordo compositivus, à resolutione alter resolutivus nuncupatur. Duplex autem & essentialiter distinctus; quia compositio & resolutio distinguuntur realiter. Proinde uterque ordo non potest in quâvis disciplinâ legitime conscribendâ conjunctim observari, ut vult *Piccol. comit. polit. & philos. moral.* Objicis: At natura, ordinis Logici fundamentum, in quovis opere perficiendo utrumque ordinem enixè persequitur. Ergò & in quavis disciplinâ legitime conscribendâ utramque methodum conjunctim observare oportebit. Respon. Negatur antecedens. Non enim fieri potest, ut natura eo ipso quo componit, resolvat, & contrà. Ratio in prioribus est dicta: quia compositio & resolutio differunt realiter. Breviter, quæ diffusè diximus, colligamus. 1. In naturâ est duplex ordo. E. & in arte. 2. Distributio methodi sumpta ex fine, est adproba. At hæc est talis. E. 3. Distributio sumpta ex objecto, est bona. At hæc talis. E. Omnia sunt probata in antecedentibus. At, inquiunt, semper ab universalibus progredimur. E. unica methodus. Respon. Hæc est communis utriq; methodo conditio, à notioribus, ideoq; universalibus exordiri & progredi; sed aliter tamen synthetica, aliter analytica methodus ab illis progreditur. Synthetica progreditur à primis ad ultima; analytica ab ultimis ad prima transit, non tamen sub ratione ultimitatis (ut ita dicam) sed quatenus quod est ultimum in executione, primum est in intentione: qualis est finis, qui nomen causæ meretur. Cæterùm observa ambiguitatem in vocabulis. Synthesis hîc in specie significat ordinem, qui tradendis disciplinis contemplativis inservit: analysis ordinem significat, qui à notione finis incipit, & solis disciplinis practicis & poëticis tradendis convenit. Latè verò synthesis & analysis capiuntur pro duabus exercitationis Logicæ primariis speciebus, ita ut genesis & synthesis significant unum, vi-

num, vi-